

præfatos, et alios jurisdictionis suæ actus libere exercere valeant, nisi contra ipsos tanquam excommunicatos, sicque minus idoneos excipiantur, arg. c. *Ad probandum de sent. et re jud.* Ratio est; quia ex una parte hoc ipso, quod excommunicatus aliquis tolleretur, etiam susinentur acta ipsius (nisi specialis deponatur exceptio) ne alioquin plura incommoda, et inconvenientia sequantur, quæ concil. Constantiense sublata voluit per dicenda infra. Ex altera vero parte dictum concilium excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut ante hac, ita et nunc, facta saltem exceptione et oppositione, acta ipsorum sunt invalida.

71. IX. *Est privatio communionis forensis, seu actuum ad iudicium externum pertinentium.* — IX. Effectus est privatio communionis forensis sive actuum pertinentium ad iudicium externum sive ecclesiasticum, sive laicale, tam civile quam criminale, ita, ut in nullo horum excommunicatus possit esse iudex, actor, advocatus, tabellio, testis, etc. quod intellige de solis excommunicatis vitandis, de toleratis enim procedit doctrina num. præc. allata; adeo ut acta ab eis tanquam actoribus, advocatis, etc., facta valeant, si nemo contra illos tanquam inhabiles ad standum in iudicio excipiat, e contra vero si excipiantur, irrita existant, arg. c. *A nobis de Except.* et c. 1, eod. in 6. Et quamvis iudex excommunicatus vitandus a iudicio repellere graviter teneatur, textu expresso, c. *Decernimus*, 6, h. t. ac etiam toleratos repellere possit per jura citata, tamen hos repellere non tenetur, nisi excommunicatio notoria sit, vel aliquis contra eos excipiat.

72. *Excepto reo, qui ut talis in iudicio stare potest et debet.* — Limita tamen præfatum effectum in reo, utpote qui etiam ut vitandus excommunicatus, in quovis iudicio stare potest et debet; cum alias accusari et conveniri in iudicio non posset, consequenter ipse a sua malitia commodum reportaret, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*.

73. X. *Est privatio communionis politicæ.* — X. Effectus est privatio communionis politicæ cum fidelibus, ita ut cum eis nec contrahere, vel commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convivere, familiariter conversari, officiose colloqui valeant, nec fideles cum ipsis, can. *Sicut*, 16, can.

*Cum seqq. cau. 11, q. 3, c. Nuper*, 23, c. *Aliquando*, 41, h. t. cum concordantiis, de quo tamen effecta plura § 4.

74. XI. *Quod insordescens per annum in excommunicatione censeatur suspectus de hæresi, et nonnunquam convictus de crimine.* — XI. Effectus est, quod si quis per annum in excommunicatione insorduerit, id est, pertinaciter perstiterit, de hæresi reddatur suspectus, ita, ut contra illum tanquam de hæresi suspectum procedi possit, uti statuitur in concilio Tridentino, sess. 23, de *Reformat.* cap. III, ac insuper si nullum impedimentum alleget, seque purgare recuset, etiam condemnari valeat ut hæreticus, c. *Cum contumacia, de Hæretic.* in 6. Ratio est, quia talis videtur omnino contemnere potestatem Ecclesiæ, cujus claves, et excommunicationem non timet, nec curat. Insuper si quis propter suspicionem hæresis, vel alterius criminis conjuncti cum contumacia (ut quia legitime citatus non comparet) excommunicatus fuerit, atque in tali excommunicatione per annum perseveraverit, censeatur convictus de illo crimine, arg. c. *Excommunicatus*, § *Qui autem de hæretic.* atque cum communi aliorum tradit Covarruvias, in c. *Alma mater*, § 7, n. 10, fusius hanc pœnam deducens.

75. *Qui effectus etiam toleratos excommunicatos afficiunt.* — Porro circa effectus excommunicationis majoris, hactenus recensitos specialiter notandum, iis non tantum excommunicatos notandos, id est, publice denunciatos, et notorios percussores clericorum, sed etiam toleratos, id est, quacunque alia etsi penitus occulta majori excommunicatione innodatos, exceptis casibus, quos circa unum vel aliquem effectum notavimus, subjacere. Ratio est, quia jura indistincte loquuntur, consequenter indistincte intelligi debent, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privilegiis*.

76. *Solvitur instantia ex Bulla Martini V.* — Nec in contrarium quid probat Bulla Martini V, *Ad evitanda*; quia per illam Bullam prorsus nullus factus est favor ipsis excommunicatis, sed tantum reliquis non excommunicatis christianis, quatenus nempe tuto conscientia cum excommunicatis communionem tam in divinis, quam politicis habere valeant, nisi fuerint publice denunciati aut notorii percussores clericorum; quod dum Pontifex statuit, ad finem expresse addit, quod « per hoc non intendat

excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari. »

77. *Ob gravem, et urgentem causam excusatur quis a lege hos effectus imponente.* — Notandum tamen, quod sicut ab observatione aliarum legum humanarum excusatur justa causa, v. g. ignorantia invincibilis, necessitas, gravis metus, vel grave periculum mortis, damni corporalis, gravis infamiae, jacturæ bonorum, officii, etc. sic etiam ob similem causam possit quis subinde excusari a lege excommunicatos præfatis effectibus afficiente; sic v. g. in causa necessitatis, deficiente alio sacerdote, potest excommunicatus administrare sacramenta infirmo; idem facere, sicut etiam ingredi ecclesiam, jurisdictionemque exercere potest, si ad id metu mortis, vel jacturæ bonorum adigitur. Pariter potest ille, qui occulta, sibi tamen bene cognita excommunicatione laborat, ad evitandum scandalum, gravem jacturam famæ, bonorum, etc. administrare, vel recipere sacramenta, ac divinis interesse, et cum aliis ultro conversari, etc. Dummodo id revera requiratur ad vitanda enarrata damna; ubi enim horum periculum adest, vel si est, alia ratione aut via, quam transgressione legis evitari potest, viam hanc amplecti, effectusque recensitos sustinere coram Deo graviter tenetur excommunicatus, juxta omnes.

## § III.

## SOLVUNTUR QUÆDAM DUBIA DE EXCOMMUNICATIONE.

78. *Excommunicatio alia est lata, alia ferendæ sententiæ.* — Quæritur I. Quænam excommunicatio censeatur lata, et quænam ferendæ sententiæ; ubi nota, quod excommunicatio sit pœna, quæ nulla major in Ecclesia datur, c. *Corripiantur*, 24, q. 3, quia separat a corpore Christi, quod est Ecclesia. Quæ quidem pœna quandoque imponitur ipso jure, adeo ut posito delicto mox incurrat, et dicitur excommunicatio lata sententiæ. Quandoque vero legislator eam comminatur delinquenti, ita, ut posito delicto primum per sententiam iudicis sit imponenda, et appellatur excommunicatio ferendæ sententiæ, prout jam dictum est supra n. 146.

79. *Ex quibus cognosci valeat, quod excommunicatio sit lata.* — Resp. I. Hæc verba

legi pœnali inserta, « ipso facto, ipso jure ex tunc, sit excommunicatus, » etc. manifeste indicant excommunicationem latæ sententiæ. Idem dicendum, quando legislator sibi, vel legi suæ adscribit sententiam dicendo v. g. auctoritate nostra, virtute presentis constitutionis sit excommunicatus, etc. Similiter si lex utatur solo verbo indicativi modi præsentis, aut præteriti temporis, v. g. excommunicamus, excommunicationem se noverit incursum, sciat se esse excommunicatum, etc. ut post Suar. l. V, de *Legibus*, c. 6, notat Herinex, disp. 5, de *Legibus*, n. 7; Sylvester, §. *Excommunicatio*, 1, n. 22; Laym. lib. I, tract. V, p. 1, n. 3.

80. *Vel ferendæ sententiæ.* — Resp. II. Si lex solum comminetur pœnam excommunicationis nulla alia particula, v. g. prohibemus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, sub pœna excommunicationis contrafacientibus infligendæ, etc. continet excommunicationem ferendæ sententiæ. Idem dicendum, si lex utatur verbo, vel participio futuri temporis, v. g. reus erit talis pœnæ, subjacebit excommunicationi, et hujusmodi, dummodo nulla alia particula ex enumeratis n. præc. opponatur. Et hoc ipsum Herin. l. c. n. 4, verisimiliter censet de illis verbis absolute prolatis, « excommunicationem se noverit incursum. » Nam cum de tali excommunicatione ferendæ sententiæ possint prædicta verba absolute posita commode explicari, id erit faciendum; quia « in pœnis benignior est interpretatio faciendæ » juxta *Reg. 49, Jur.* in 6, cum concordantiis.

81. Resp. III. Insuper si lex utatur verbis imperativi modi, qui non afficiunt immediate ipsam personam, sed vel reatum pœnæ, v. g. reatum talis pœnæ incurrat, fiat reus excommunicationis; vel ipsam actionem iudicis, dicendo v. g. excommunicetur. Hujusmodi, inquam, locutiones solum continent excommunicationem ferendæ sententiæ. Idem dicendum, quotiescumque dubium est, an verba legis confineant excommunicationem latæ, vel ferendæ sententiæ: quia in « obscuris minimum est sequendum » per *Reg. 30, Jur.* in 6.

82. Dixi notanter, quæ non afficiunt immediate ipsam personam. Siquidem verba illa, excommunicationem incurrat, important excommunicationem ipso jure, ut bene post Tiraquellum notat Fagnanus, in c. *de*

*Sentent. excommun.* n. 57. Similiter hæc verba, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, importare excommunicationem latæ sententiæ, fusius contra nonnullos oppositum tenentes propugnat Fagnanus, in c. *Super specula, Ne clerici vel monachi*, et c. n. 4, et seqq.

83. Utrum autem illa verba, sit excommunicatus, etc. nullo alio addito seu absolute prolata contineant pœnam latæ sententiæ, necne, variant doctores. Affirmant non pauci, et ratio esse potest, quia hujusmodi verba imperativi modi efficiunt immediate ipsam personam. Oppositum nihilominus tenet Navarrus, c. 27, *Manual.* n. 12, videlicet allegata verba non continere sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia jura id declarant. Probat id Navarrus multipliciter. Et quidem tum auctoritate Glossæ c. 2, de *Foro compet.* §. *Sequestratur*, secundum quam plurimi canones illa verba continentes sententiam ferendam significant.

84. Tum, quia verbum sit, est futuri temporis, juxta quod Glossa, in cap. *Si quis ex clericis de Vita, et honestat. cleric. ly*, anathema sit, explicat per ly, anathema erit, argum. dist. 30, quasi per totum, ubi clausula ista solum denotat excommunicationem ferendæ sententiæ. Tum tandem, quia quamvis ly sit, quandoque significet tempus præsens, nihilominus stante dubio mihi pars in pœnis est eligenda: atqui prædicta verba sunt dubia, ut patet ex hactenus allegatis, et ipsa doctorum varietate; ergo.

85. *Poteet quis sæpius excommunicari.* — Quæritur II. An quis sæpius possit excommunicari? Resp. Affirmative, arg. c. *Cum pro causa, de Sentent. excommun.* et notat Glossa. in c. *Engeltrudam*, 3, q. 4. Nec obstat, quod ejectus ex Ecclesia non possit amplius ejici, sicut et occisus non potest amplius occidi. Resp. enim cum citata Glossa, excommunicationem habere duos effectus, unum ejiciendi extra Ecclesiam, et alterum detinendi extra, et licet excommunicatio posterior non possit consequi primum effectum, in jam excommunicato, bene tamen secundum.

86. *Atque ab una excommunicatione absolvi alia remanente.* — Porro ligatus pluribus excommunicationibus potest absolvi ab una, et tamen non ab altera, et qui vere vult absolvi, ab omnibus, omnem causam, pro qua vel quibus fuit excommunicatus, debet ex-

primere, arg. cit. c. *Cum pro sua, de Sent. excommunicat.* juxta Glossam ibidem §. *Tantumquam excommunicatum.*

87. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod unum peccatum non dimittatur sine altero, arg. c. *Majores*, § *Sed adhuc de Baptismo*, ibi: « Dominus, qui totum hominem salvum fecit in sabbato, opus imperfectionis non novit, et ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit. » Respondit enim Fagnanus, in cit. c. *Majores*, n. 62, de *Baptismo*; disparitatem esse, quia absolutio a peccatis est actus divinus, qui non debet esse absque perfectione, secus est de absoluteione ab excommunicatione, quæ est actus humanus Ecclesiæ, utpote per quam inducta est excommunicatio.

88. *Nomine universitatis veniunt collegium, capitulum, conventus, etc., quot persone requirantur ad illa?* — Porro universitatis nomine censetur synodus, concilium, conventus, collegium, capitulum, etc. Et licet Baldus quinque homines requirat ad universitatem castri, vel villæ, arg. l. fin. c. *de Testamentis*, melius tamen Fagn. loc. cit. n. 34, post Glossam, in l. *Sicut*, ff. *Quod cujusque universitatis nomine*, etc. censet, universitatem posse constitui per tres arg. l. *Neratus*, ff. *de Verbor. significat.* ibi: « Neratus Priscus tres facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est. » Quinimo duo faciunt congregationem, arg. cap. 1, de *Elect.* Et licet unus non sit universitas, neque per unum ab initio constitui possit universitas, nihilominus, si unus solus remaneat, jus et nomen universitatis conservatur in illo, textu claro, l. *Sicut*, ff. *Quod cujusque universitatis nomine*, etc. Hoc prænotato.

89. *Hodie licite non potest excommunicari integra universitas, seu communitas, nec collegium.* — Resp. I. Hodie non potest ferri sententia in universitatem, vel collegium; sed in singulos tantum de universitate, vel collegio, quos culpabiles esse constituerit, promulgari debet. Ita habetur expresse c. *Romana de Sentent. excommun.* in 6, idque provide statuit Pontifex « volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innocios hujusmodi sententia irretiri, » ut ibidem habetur.

90. *Bene vero olim fieri poterat.* — Dixi notanter hodie. Nam olim potuisse capitulum, et sic universitatem excommunicari, In-

notat post Abbatem, et Joan. Andream Fagnanus, in c. *Olim de Litis potestat.* n. 2, et fusius in c. *Responso de Sentent. excommun.* n. 53, et seqq. idque probat ex casu et textu illius capituli *Olim, de Litis contest.* et c. *Significat*, §. *Sed a parte de except.* etc. Accedit, quod cit. c. *Romana de Sentent. excommun.* in 6, jus novum contineat, non enim procedit per viam declarationis, sed novæ constitutionis, ibi: « Penitus prohibemus » et consequenter ante illam constitutionem bene poterat communitas excommunicari. Sed de facto secus dicendum.

91. *Poteet etiam hodie adhuc interdicti integra universitas, v. g. civitas, regnum, etc.* — Non obstat, quod tota civitas, vel universitas aliqua possit interfici, arg. c. *Responso de Sentent. excommun.* Imo quandoque interdicto puniantur, qui non peccaverunt: nam pro peccatis regis regnum interdicatur, arg. c. *Non est vobis, de Sponsalib.* Civitas pro peccatis episcopi, c. *Sane, de Offic. delegat.* vel domini, aut rectoris, c. *Si sententia, de Sentent. excommun.* Resp. enim cum Fagnano, in cit. c. *Responso, de Sentent. excommun.* n. 42, hoc esse verum ac speciale in interdicto, non autem in pœna excommunicationis; interdicti enim non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicuti excommunicati. Unde hodie universitas non excommunicatur, sed personæ singulares, licet interdicti soleat.

92. *Si integra communitas excommunicatur, etiam hodie valet.* — Resp. II. Nihilominus sententia excommunicationis, si hodie feratur in universitatem, probabiliter est valida, et ligat singulos de communitate doli capaces, saltem quoad Ecclesiam. Ita Glossa, in c. *Romana, de Sentent. excomm.* in 6, §. *Penitus*, appellans hanc sententiam tutiorem, et sequitur Fagnanus, loc. cit. n. 102, et seqq. post Bernardum, Butrium, et alios, quamvis etiam multi teneant oppositam.

93. *Et quidem certo, si excommunicatio feratur a Papa.* — Et quidem si sermo sit de excommunicatione a Summo Pontifice in universitatem lata, cum ipse non subiaceat ulli prohibitioni juris positivi, non est dubitandum, quin liget omnes de universitate, etiam innocios. Intellige quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiæ se debent gerere quasi excommunicatos: secus quoad Deum, cujus iudicium nec fallit, nec fallitur, atque amplius declarat textus expressus n. c. *A nobis*, 16, de *Sentent. excommun.* In-

tellige insuper quoad personas doli capaces: nam infantes et furiosi non ligantur excommunicatione, etiam quoad Ecclesiam. Fagnan. ibid. n. 34.

94. *Probabiliter vero, si feratur ab inferiore Papa.* — Quod autem de facto tenent sententia excommunicationis (modo proxime declarato) si in universitatem feratur ab inferioribus Papa, probatur imprimis auctoritate plurium doctorum n. 92, jam relatorum, hanc sententiam appellantium tutiorem. Accedit, quod olim potuerit excommunicari universitas juxta dicta n. 90. Atqui in nova dispositione c. *Romana, de Sentent. excommun.* in 6, prohibetur quidem excommunicari universitas vel collegium, ibi: « In universitatem vel collegium proferri sententiam excommunicationis penitus prohibemus; » non tamen irritatur, neque invalida declaratur sententia talis, si proferatur.

95. *Solvitur instantia. Quandam actus contra legem actus censeatur irritus? et quando non?* — Neque urget l. *Non dubium*, c. *de Legibus*, juncto c. *Imperiali*, 23, quæst. 2, ubi dicitur: « Quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt, licet legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. » Nam dictum istud plures patitur limitationes, ut notat Jason ad cit. l. *Non dubium*, arg. c. *Ad Apostolicam, de Regularib.* ibi: « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. »

96. Cæteris autem limitationibus dimissis, et magis ad propositum, respondet Fagnanus, loc. cit. n. 103, dictum illud habere locum duntaxat, quando lex simul tribuit potestatem faciendi actum illum, et præscribit condiciones, ac modificationes prohibendo, ne aliter fiant; tunc enim recipitur potestas qualificata seu modificata solum, et ideo actus non servatis modis præscriptis a lege redditur nullus ex defectu potestatis. Secus est, quando lex præscribit condiciones, vel facit prohibitionem ei, qui prius potestatem vel jurisdictionem agendi jam habebat (prout olim episcopi habuerunt potestatem excommunicandi universitatem) tunc enim sustinetur actus in vim potestatis præexistentis; licet transgrediens sit puniendus, sicque sententia excommunicationis in universitatem lata foret quidem injusta, sed non ipso jure nulla, arg. c. *Sententia*, 11, q. 3, ibi: « Sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est. »

97. *Quomodo differant inter se sententia excommunicationis, et declaratio seu sententia declaratoria.* — Quæritur III. In quo differant sententia excommunicationis, et declaratio seu sententia declaratoria excommunicationis? Resp. cum Fagnano in c. *Non potest de Sentent. et re judicat.* n. 18 et seqq. differre primo, quia excommunicationis sententia infligitur per sententia iudicis, non sic autem fit in declaratione excommunicationis a jure inflictæ: nam qui ipso jure excommunicatus est, per declarationem amplius non ligatur; cum a principio ligatus fuerit, sed solum declaratur excommunicatus, ut ab aliis evitetur. Ideoque ex declaratione neque inferitur pœna gravissima, qualis inferitur ex sententia excommunicationis, neque tanta in ea requiritur solemnitas, arg. c. *Pastoralis, de Appellat.*

98. *Ad declarationem non prærequiritur trina monitio.* — Secundo differunt, quia excommunicatio ferri non debet, nisi præmissa trina monitione, vel saltem una pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, arg. c. *Sane, de Sentent. excommun.*, ibi: « Nisi competente admonitione præmissa » juncto c. *De illicita*, 24, q. 3, et c. *Constitutionem, de excommunican.* in 6, eo quod excommunicatio feratur propter contumaciæ perseverantiam, et ut isthac medicinali pœna quispiam castigatus citius a sua contumacia deficiat. Quavis jure novo § Concilii Trident. sess. 23, c. 3, de Reformat. si delicti qualitas id exposcat, infligi excommunicatio valeat præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum. E contra ad declarationem excommunicationis alia monitio non requiritur, cum ea ipso jure jam contracta supponatur, ac declaretur, et lex ipsamet semper moneat a tali actu sub pœna excommunicationis esse abstinendum.

99. *Nec citatio, si crimen est notorium.* — Tertio differunt; quia ad excommunicationem a iudice infligendam requiritur citatio rei, saltem per edictum, si is aliter inveniri nequeat. Secus est in declaratione excommunicationis, dummodo factum ipsum sit notorium: neque enim citandus est cui notorium est defensionem non competere, prout ex communi docet citatus Fagnanus n. 21.

100. *Secus si notorium non est, aut de illo non plene constat, tunc enim requiritur citatio pro discussione causæ, ob quam quis sit declarandus excommunicatus.* — Dicitur autem notanter: dummodo factum sit notorium; nam

si hoc occultum est, vel de eo nondum manifeste constat; citatio rei est necessaria ad discutiendam causam, ob quam sit declarandus excommunicatus, Glossa in Clement. *Præsenti*, vers. *Constiterit, de Censib.* et Clement. 2, de *Pœnis*: quatenus vel reus se defendere, vel factum verificari queat, ob quod feratur declaratio, licet in ipsa declaratione non requiratur.

101. *Quibus competat potestas ferendi excommunicationem. Remissive.* — Quæritur IV. Quibus competat potestas ferendi excommunicationem majorem? Item qualiter et quando hac potestate uti possint et debeant? Resp. I. Ad primam partem hujus quæsiti patere ex § 1, n. 7, ubi specificavimus omnes, quibus competit potestas ferendi censuram ut sic, consequenter etiam excommunicationem.

102. *Cautissime, et non nisi deficientibus aliis mediis adhibenda est excommunicatio.* — Resp. II. Excommunicatio cautissime ac sobrie, et non nisi aliis deficientibus mediis infligenda est. Pro hujus conclusionis probatione, et declaratione merito per extensum assignatur dispositio circa hoc facta a Concilio Tridentino sess. 25, de Reformat. c. 3, his verbis. « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtrahitis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ ejus animus moveat: nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a

censuris ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque distractionem per suos propios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit: sitque erga iudicem contumacia, tunc etiam eos anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit, etiam a censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit: licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, aut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsentis Decreto non sint observata: cum non ad sæculares, sed ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insisterit, etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit.

103. *Excommunicatio est maxima pœna in Ecclesia Dei.* — Ratio autem conclusionis est tum illa, quæ in Concilio Tridentino loc. cit. princ. jam est allegata: tum quia excommunicatio est pœna gravissima, quam habet Ecclesia, can. *Corripiantur* 17, cau. 24, q. 3, ibi: « Quæ pœna in Ecclesia nulla major est; » consequenter, dum alia media sufficiunt, adhiberi non debet. (ADNOTATIO L.)

## § IV.

DE EXCOMMUNICATIONE CANONIS, SEU IN PERCUSSIONIBUS CLERICORUM, ET DE EXCOMMUNICATIONIBUS BULLÆ CŒNÆ.

104. *Ratio rubricæ.* — Quamvis innumeræ quasi excommunicationes tam in sacris ca-

nonibus, quam constitutionibus et decretis pontificum, episcoporum, aliorumque superiorum ecclesiasticorum inveniantur, præ aliis tamen celebriores, et frequentiores sunt excommunicatio canonis, et excommunicationes Bullæ Cœnæ, de quibus proin hoc § agemus.

105. *Quid intelligatur nomine excommunicationis canonis?* — Quæritur I. Quid sit? contra quos? et a quo statuta sit excommunicatio canonis? Resp. I. Per excommunicationem canonis intelligitur illa, quam ipso facto incurrunt omnes percussores clericorum, seu omnes illi, sive clerici, sive laici, qui violentas manus in clericum, vel monachum, seu religiosum injecerint. Communis et certa can. *Si quis suadente Diabolo* 29, cau. 17, q. 4.

106. *A quo fit lata.* — Resp. II. Hæc excommunicatio lata est ab Innocentio II, in Concilio Lateranensi relato, cit. can. *Si quis suadente Diabolo* 29, cau. 17, q. 4, ibi: « Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis periculo urgente) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. »

107. *Quinam veniant nomine clerici, vel monachi?* — Quid autem nomine clerici, vel monachi intelligatur; vide lib. III, tit. I, de *Vita et honestat cleric.* § 4, per totum. Item tit. XXXI, § 4, vide etiam dicta in Theologia nostra morali tract. 13, dist. 11, a n. 63, quibus adde, esse certa vitia, ratione quorum clerici privilegio citati canonis non gaudent, ita ut percipientes talem clericum non incurrant hanc excommunicationem, de quibus vitiis in hoc V, libro suis in locis jam fecimus mentionem.

108. *Violentam manum clerico vel monacho injicere quis dicatur.* — Quæritur II. Quænam dicatur violentæ manus injectio in clericum, vel monachum ad hoc, ut propterea præfatam excommunicationem ipso facto quis incurrat? Resp. Violentæ manus injectione ad propositum intelligitur quævis actio externa injuriosa, et graviter peccaminosa violenter injecta personæ clerici, aut monachi, vel rebus corpori illius adherentibus. Ita in re communis, prout videre est apud Navarrum *Manual.* c. 27, n. 77. Barbosam in c. *Si quis suadente*, a n. 29. Molinam de